



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 5. Idem Diuus oleum dando, oleu[m] accipit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

§. V.

Idem Diuus oleum dando, oleum accipit.

Eo quoq³ tempore, quo alimentorum inopia Ibid. c.
39.
Campaniam grauitè affligebat, vir Dei diuersis indigentibus monasterij sui cuncta tribuerat, ut penè nihil in cellarario, nisi parum quid olei, in vitreo vase, remaneret. Tunc quidam subdiaconus, Agapitus nomine, aduenit, magnoperè postulans, ut sibi aliquantulum olei dari debuisset. Vir autem Domini, qui cuncta decreuerat in terra tribuere, ut in cœlo omnia reseruaret, hoc ipsum parum, quod remanserat olei, iussit petenti dari. Monachus verò, qui cellarium tenebat, audiuit quidem iubentis verba, sed implere distulit. Cùmq³ post paululum, si id, quod iusserat, datum esset, inquireret; respondit monachus, se minimè dedisse: quia si illud ei tribueret, omnino nihil fratribus remaneret. Tunc vir Dei alijs praecepit, ut hoc ipsum vas vitreum, in quo parum olei remansisse videbatur, per fenestram proijcerent, ne in cella aliquid, per inobedentiã, remaneret. Factũq³ est; sub fenestrã autem eadem ingens precipitium patebat, saxorum molibus asperum. Projectum itaq³ vas vitreum, venit in saxis, sed sic mansit incolume, ac si projectum minimè fuisset, ita ut neq³ frangi, neq³ oleum effundi potuisset. Quod vir Dei praecepit
leua-

lenari, atq; ut erat integrum petenti tribui. Tunc collectis fratribus inobedientem Monachum de infidelitate suâ, & superbia, coram omnibus, increpavit. Quâ increpatione completâ, sese cum eisdem fratribus in orationem dedit. In eo autem loco, ubi cum fratribus orabat, vacuum erat ab oleo dolium coopertum. Cumq; sanctus vir in oratione persisteret, cœpit operimentum eiusdem doli oleo excrecente sublenari. Quo commoto atq; sublenato, oleum, quod excreuerat, ora doli transiens, pavimentum loci in quo incubuerat, inundabat. Quod Benedictus Dei famulus ut aspexit, protinus orationem complevit, atq; in pavimentum oleum defluere cessavit. Tunc diffidentem inobedientemq; fratrem latius admonuit, ut fidem habere disceret & humilitatem. Idem verò frater salubriter correptus erubuit, quia venerabilis pater virtutem omnipotentis Dei, quàm admonitione intimauerat, miraculis ostendebat: nec erat iam, ut quisquam de eius promissionibus dubitare posset: qui in uno eodemque momento, pro vitreo vase penè vacuo, plenum oleo dolium reddidisset.

§. VI.

Dando non perdi opes, sed augeri.

Discant hinc malè prouidi, immò male-

Luc. 6.38. dicti auaritiæ ministri, quàm verum sit illud:
date;